

S· G· B· T· B·

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



DISPUTATIO DECIMATERTIA  
In Augustanam Confessionem,

continens

ANTÍΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

*De*  
**CHRISTO ME-**  
**D I A T O R E,**

*Proposita*

In Electorali Academiâ wittebergensi,

*P R A E S I D E*

**JACOBO MARTINI, SS. Th.**

D. & Prof. Primario, Facult. Theol. Seniore,

Templi Arcis Præposito, ac p. c.

Academiæ Rectore,

*R E S P O N D E N T E*

M. JOHANNE CASPARO ROHRBACHIO,

Segnicensi Franco.

*Habebitur in Auditorio Collegii veteris*

ad diem 15. Februarii.

---

*WITTEBERGÆ,*

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.



DISPUTATIO DE CIVITATE ET  
Augustinum Conuersum

conuictus

artificis

D

# CHRISTIANE DIATOME

JACOBUS MARTINUS.

DISPUTATIO DE CIVITATE ET

ARTIFICIS CONUICTUS

ACADEMIA REGIA

ACADEMIA

ACADEMIA POLONIAE

ACADEMIA

ACADEMIA ROMANA

ACADEMIA

ACADEMIA

ACADEMIA ROMANA

ACADEMIA

ACADEMIA

ACADEMIA

ACADEMIA

ACADEMIA

ACADEMIA



## Continuatio.



Rrores Pontificiorum Jesuitarum in loco de Persona Christi vidimus hactenus, consequens nunc est, ut, quomodo in doctrina de Officio Christi iidem halucinentur, scrutemur.

### THEISIS I.

**U**T Andreas Osiander Justificationem hominis tantum ad Divinam Christi naturam retulerat, ita circa annum 1551. in alteram contrariam partem Franciscus Stancarus, Italus Mantuanus, & in Germania aliquandiu professus Theologiam, delapsus, contendebat, totum *Redemptionis opus in Christo tantum ad ipsius Humanam Naturam referendum esse.*

II. Quanquam Jesuitæ videri velint hanc perversam opinionem rejicere & damnare, uti Bellarminus contra illam disputat lib. 5. de Christo cap. 2. Veruntamen, quicquid etiam excipiant, planè eundem errant errorem, asserentes & contra nos defendere molientes, Christum Mediatorem esse tantum secundum Humanam Naturam.

III. Bellarminus l. d. id discriminis esse docet inter sententiam Stancari & Pontificiorum, quod Pontificii statuant, opera Mediatoris esse opera suppositi divini, proindeq; ipsum Mediatorem, sive principium Quod operatur opera Mediatoris, non esse Deum solum, vel Hominem solum, sed utrumq; simul, hoc est, Verbum Incarnatum, sive Deum humanatum: Principium autem, Quo illa opera à Mediatore siebant, esse naturam Humanam, non Divinam. Tametsi enim Deus incarnatus erat, qui orabat, patiebatur, obediebat, satisfaciebat, tamen hæc omnia faciebat secundum formam servi, non secundum formam Dei; Contra vero Stancarus opinetur, opera Mediato-

diatoris esse opera suppositi humani, & sic apertissimè deflectat ad Nestorianismum, cùm voce quidem fateatur unam personam in Christo, re ipsa autem ponat duas, sicq; evacuet plane Mysterium Redemtionis.

IV. Quod sic probat Bellarminus: *Quicunque docet, solam naturam humanam egisse opera satisfactoria, ille statuat oportet, humanam naturam per se existere, esseq; suppositum à divino supposito distinctum*: Ratio: quia agere est suppositorum; Atqui Stancarus docet, solam naturam humanam egisse opera satisfactoria; Ergo, Stancarus statuat oportet humanam naturam per se existere, esseq; suppositum à divino supposito distinctum & sic duo supposita in Christo: quæ est ipsissima hæresis Nestorii.

V. Verum callidum hīc Sophistam agere Jesuitam ex eo liquet: quod sub posita majore subsumere, & argumentari contra ipsum eodem modo possim: *Quicunque docet solam naturam humanam egisse opera satisfactoria, ille statuat oportet, humanam naturam per se existere, esseq; suppositum à divino supposito distinctum*; Atqui Bellarminus, Bécanus & cæteri Jesuitæ docent, solam humanam naturam egisse opera satisfactoria &c. Ergo &c. Si ergo Stancarus Nestorianismi insimulandus; utique illius æquè accusandi sunt Jesuitæ.

VI. Minorem probbo: Sic enim loquitur Bellarminus d. I. cap. 3. *Alius error est eorum, qui contendunt, Christum exercere officium Mediatoris secundum utramq; Naturam*: Ergo credit Bellarminus, Christum Mediatorem esse tantum secundum humanam naturam. Quod confirmat, quando Chemnitium reprehendit, negantem, Christum esse Mediatorem secundum humanam naturam tantum, ibid: Et Bécanus part. 3. Theol. schol. cap. 21. §. 3. *Conclusione secundâ expressè scribit, Christus secundum humanitatem est Mediator, non secundum divinitatem*: Idq; ex Lombardo, quem hīc ex asse Jesuitæ sequuntur, patet, effidente lib. 3. sent. dist. 19. *Christum esse Mediatorem nostrum, tantum secundum humanitatem, non secundum divinitatem*.

VII. Sed excipiet Bellarminus: Stancarum tribuere opera Mediatoris humanitati, ut per se existenti, non in persona, sed extra

extra personam divinam, & sic in propria subsistencia humana, contrà verò Pontificios opera illa tribuere personæ divinæ, & sic non soli Deo, neque soli homini, sed utriusque simul, nempe Verbo incarnato.

VIII. Prius Stancarus nequaquam Bellarmino concedet. Quandoquidem, ut Bellarminus ipse fateri cogitur, semper unam Personam in Christo agnovit & confessus est. Deinde utitur eadem phrasí, quâ Bellarminus & Becanus, *Christum tantum secundum humanam naturam esse Mediatorē*. Si ergo inde sequuntur duæ personæ sive supposita in Christo; utique non tantum ex formulis loquendi Stancari, sed ipsius quoque Bellarmini, Becani & cæterorum Pontificiorum phrasibus idem absurdum inferri poterit.

IX. Quòd autem duæ Personæ, simulq; pessima contradictione, reverè ex verbis & sententia Bellarmini inferantur, demonstro hunc in modum: de quo dicitur, quòd non sit solum Deus, vel solum Homo, sed utrumque, de illo id dicitur, non tanquam de uno, sed tanquam de duobus. Ratio est manifesta: Nam rō utrumq; duo significat: sed à Bellarmino de Christo dicitur, quòd utrumq; Deus & Homo, sit Principium Quod operatur opera Mediatoris: Ergo, à Bellarmino de Christo id dicitur non tanquam de uno sed tanquam de duobus.

X. Hæc ergo duo aut sunt naturæ, aut sunt supposita sive personæ. Naturas esse negat Bellarminus, dum inficiatur naturam humanam Principium Quod, & affirmat, tantum Principium Quo esse. Ergo, si illud utrumq; certò aliquo sensu Jesuita tribuit Christo sive Mediatori, necesse est, ut ei tribuat, ut duabus personis; nempe alteri Deo, & alteri Homini. Manifestus Nestorianismus.

XI. Deinde sibi contradicit, cùm illud utrumq; postea referat ad Deum Incarnatum: Ad illum verò relatum istud utrumq;, necessum est, denotet duas naturas, divinam & humanam: cùm Deus incarnatus sit tantum una persona & duæ naturæ. Atque sic utraque natura erit Principium Quod operatur opera Mediatoris, quod alias negat Jesuita.

XII. Tertiò: neque Bellarmini & Jesuitarum sententia ea-  
ret absurdo. Dicit Bellarminus: *Opus Mediatoris præcipuum fuit  
Passio Christi; hæc autem ipsi Deo & Domino tribuitur in Scripturis,  
atque ideo necesse est, illi convenire saltem ratione suppositi.* Et paulò  
pôst addit Bellarminus & probat Sententiam *Augustini lib. 9. de  
Civit. Dei cap. 17. & Fulgentii lib. de fide ad Petrum c. 2.* dicentium:  
*Christum ideo vocari à Paulo Unicum Mediatorem, quia ille solus est  
verè Medius inter Deum & Hominem, cum utriusq; Naturam ha-  
beat.*

XIII. Si prius verum est, quòd opera Mediatoris ipsi Deo  
& Domino tribuantur, & convenient tantùm ratione suppo-  
siti; tum necessum est, ut illud suppositum sumatur in abstra-  
cto pro Personalitate sine divina Natura; aut in concreto cum  
ipsa divina Natura. Si illo modo, tum Personalis modo tribui-  
tur actio sine virtute agente; absurdum & contradictio in ad-  
jecto. Nam Personalitas ut modus nullam in se virtutem habet  
agendi, sed illam totam possidet ex Natura cuius modus est. Si  
hoc modo, nempe in concreto, cum divina Natura; tum rur-  
sus sibi absurdè contradicit Jesuita, quòd opera Mediatoris  
tribuantur Deo tantùm ratione suppositi, cùm hoc modo Na-  
tura divina præcipuum sit δεκτηδον, propter quod opera Media-  
toris Deo tribuantur; nempe quia ipsa divinitas sub persona  
λόγῳ illam passionem ac mortem sibi appropriat.

XIV. Si posterius verum est, rursus absurdum erit, quòd  
tantùm ratione suppositi, & non etiam ratione divinæ Naturæ opera  
Mediatoris Deo tribuantur: cùm non propter unitatem suppo-  
siti, sed propter duas naturas, divinam & humanam dicatur  
Mediator inter Deum & Hominem. Nequaquam ergo po-  
tuisset esse efficax Mediator, si non utrâque naturâ constaret.  
Efficacia ergo, quâ opera Mediatoris producuntur non dunta-  
xat in humana, sed etiam in divina natura, & quidem secun-  
dum partem potiorem & excellentiorem, residet.

XV. Ex quibus manifestum est, iisdem laborare difficulta-  
tibus, erroribus ac absurdis opinionem Jesitarum & Stancari  
de Chri-

de Christo Mediatore, tantum secundum humanam naturam definito.

XVI. Ut ergo proprius ad rem accedamus: distinguendum est in hac disputatione inter actiones partiales, à distinctis naturis proficiscentes; & deinde inter actiones totales meritorias, ut à tota persona oriuntur, & per utramq; naturam peraguntur, conjunctim, non separatim, unaquaque tamen natura agente cum alterius communicatione, quod cuiusq; est proprium. Sic pati, mori, effundere sanguinem &c. sunt passiones & actiones, ab humana natura fluentes: sed passionem, mortem, sanguinis effusionem &c. esse meritoriam, expiare peccata, liberare à morte eterna &c. sunt actiones totius personae, ab utraq; natura proficiscentes. Divinitas enim τὸ λόγον assumtam naturam adhibet ad quævis salutis nostræ opera atque munia expedienda & perficienda, adeo, ut nuspiam operetur Caro, nisi ex vi, imperio & voluntate Verbi, & sic, juxta Damascenum, humana à Christo fiant, non ἀνθρωπίνως sed θεῖως; & divina non fiant θεῖως, sed ἀνθρωπίνως: uno interim existente Christo, qui & divina ἀνθρωπίνως, & humana θεῖως operatur.

XVII. Doctrina ac fides hæc nostra demonstratur manifestis Scripturæ dictis Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per eum.

XVIII. Unde sic argumentamur: Quicunq; negat, Christum secundum divinam quoque Naturam Mediatorem esse, is dicat necesse est, illa (Deum misisse Filium & dedisse: credentes habere vitam eternam per Filium, mundumq; salvari per Filium) de sola humana natura esse intelligenda, proindeq; dicendum statuendumq; λόγον, ut ab aeterno fuit apud Patrem, nihil egisse apud Patrem pro nobis, aut nihil in tempore ante incarnationem egisse nobiscum; Atqui Jesuitæ negant Christum secundum divinam quoque Naturam Mediatorem esse. Ergo statuant necesse est, illa in dicto Christi contenta, de sola humanitate esse intelligenda, proindeq; statuendum, λόγον, sive Christum,

quatenus  $\lambda\circ\gamma\Theta$  est, nihil ab æterno egisse apud Patrem pro nobis, aut etiam in tempore ante incarnationem nihil egisse nobiscum.

XIX. Major est certa. Primùm: quia *Filiū dari à Patre Mundo*, credentes habere vitam æternam & salvari per Filium, sunt opera ad officium Mediatoris pertinentia. Deinde consequens, quod inde deducitur, est firmissimum. Nam  $\lambda\circ\gamma\Theta$ , quatenus fuit ab æterno apud Patrem, tantum Deus fuit, & quicquid egit, extra carnem secundum divinam naturam egit. Si ergo opera Mediatoris Christus tantum ut homo, vel secundum humanam naturam in tempore assumtam peregit, utique extra carnem in æternitate illa nulla ejusmodi opera peregit apud Patrem; neque cum hominibus in tempore ante incarnationem agere quicquam potuit. Ergo, ab æterno non sumus dilecti in dilecto, neque in Christo Iesu electi antequam iacta sunt fundamenta Mundi, ut alias Epist. ad Ephes. cap. 1. v. 4. nos docet, neque in V.T.  $\lambda\circ\gamma\Theta$  de salute hominum solitus fuit; quæ sanè omnia absurdissima sunt. Porrò: Minor est Jesuitarum, Ergo & Conclusio. At Conclusio est absurda: Ergo aut Major aut Minor falsa erit. Non major, quippe jam sufficienter probata; E. Minor: atque sic falsum est, *Christum esse Mediorem tantum secundum Humanam Naturam*.

XX. Deinde ex eodem dicto sic argumentamur: Unigenitus Filius Dei est Mundo datus Mediator, vi hujus dicti Joh. 3. Atqui  $\lambda\circ\gamma\Theta$  ab æterno apud Patrem existens est Unigenitus Filius Dei: Ergo  $\lambda\circ\gamma\Theta$  ab æterno apud Patrem existens est mundo datus Mediator. Ergo  $\lambda\circ\gamma\Theta$  ab æterno ad officium Mediatoris fuit destinatus, ab æterno pro nobis intercessit, in plenitudine temporis se revelavit in Carne & Homo factus est, ex sinu Patris protulit Evangelium, remittit peccata, dat vitam æternam. Quæ sanè omnia sunt opera Mediatoris, & sine divina natura ne quaquam peragi possunt.

XXI. Veteres quoq; Promissiones manifestè comprehendunt utramq; naturam. *Semen Mulieris conteret caput serpentis*, Gen. 3. v. 15. Conterere caput serpentis non est nudi hominis; conterere caput serpentis est opus Mediatoris. Ergo, quoddam opus Mediatoris non est nudi hominis,

22.Sc-



**XXII.** Tenendum ergo hac occasione est; quod Medi-  
torem esse, Regem, Salvatorem, non tantum de natura patiente  
& moriente, sed de persona quoque victrice intelligendum sit.  
Sicut personam victricem prima haec promissio complectitur.  
Nam semen mulieris non tantum conteret caput serpentis me-  
rito in passione; sed etiam, quia vincit mortem in suo corpo-  
re, & in nobis, & restituit vitam & justitiam æternam. Sic  
Matth. i. v. 21. *Pariet filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse*  
*animus salvabit populum suum à peccatis suis. Salvabit, non tantum*  
*merito in passione, sed & efficacia planè divina.*

**XXIII.** Sic Gen. 12, v. 3. *In semine tuo benedicentur omnes gen-  
tes.* Hinc rursus sic argumentamur: Benedici in aliquo omnes  
gentes non potest nudo homini tribui; atqui in aliquo bene-  
dici omnes gentes, est opus Mediatoris. Ergo rursus aliquod  
opus Mediatoris non potest nudo homini tribui. Major est  
certa: Loquitur enim Scriptura de efficacissima benedictione,  
cujus efficacia, non nisi ab Omnipotenti divina fluit.

**XXIV.** Porro Jerem. 23. v. 5. 6. & cap. 33. v. 15. 16. dicitur:  
*Suscitabo germen Davidi & regnabit Rex. Et hoc nomen, quod vo-  
bunt eum Jehovah, justitia nostra.* Hinc sic argumentamur: Je-  
hova justitia nostra, est noster Mediator, probo: Nam Jehovah  
justitia nostra, id est: Haec persona, germen Davidis, & Deus  
sic invocabitur, quod sit Deus verus, propterea que justificet  
invocantes, det remissionem peccatorum, & vivificer. Quæ  
omnia sunt opera Mediatoris, & περιττως à Jehovah sive divi-  
na natura profiscuntur. Nunc ergo subsumo: Jehovah ju-  
stitia nostra est Christus, Deus & Homo. E. Christus Deus &  
Homo, est noster Mediator. Rursus: Qui vocatur Jehovah, in  
quo consistat nostra justitia & salus, is etiam quatenus Jehovah  
est noster Mediator, Redemptor & Justificator; Atqui Christus  
vocatur Jehovah, in quo consistat justitia nostra; Ergo, Chri-  
stus quatenus Jehovah, est quoque noster Mediator, Redemptor  
& Justificator.

**XXV.** In Symbolo quoque confitemur; *Qui propter nos  
homines & propter nostram salutem descendit de celis.* Sic argu-

mentamur: De quo dicitur & creditur, quod propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, is non potest dici tantum mediator secundum humanam naturam: Atqui Filius Dei dicitur & creditur descendisse de cœlis propter nos homines & propter nostram salutem, Ergo, Filius Dei non potest dici tantum Mediator secundum humanam naturam. Major est certa: nam propter nos & nostram salutem descendere de cœlis, est opus Mediatoris: non verò secundum humanam tantum naturam, imò potius secundum divinam naturam descendit de cœlo Filius Dei. Minor est Catholica fides: Ergo certæ quoque & immotæ est veritatis conclusio.

XXVI. Imò ante incarnationem λόγος, sive Filius Dei in V. T. non adhibitā humanā naturā (quippe quæ nondum erat) multa opera Mediatoris peregit, & ut Mediator à piis est invocatus & honoratus. *Jos. 5.* Prope Jericho videt Josua Dominum corām, & eum adorat & alloquitur. Extra omnem autem controversiam est, illum fuisse λόγον, & illa suā præsentia Mediatoris & Redemptoris officio perfunctum esse.

XXVII. Jobus c. 19. v. 25, ait: *Scio, quod Redemptor meus vivit.* Hinc sic argumentamur: Qui agnoscit λόγον Mediatorem sive Redemptorem tunc viventem, quando humana natura nondum adsumta, & nondum in vivis fuit, ille agnoscit λόγον, Redemptorem & Mediatorem secundum divinam naturam, quippe quæ tunc sola fuit & sola vixit; Atqui Job, actus à spiritu sancto, λόγον agnoscit Mediatorem & Redemptorem suum tunc viventem, quando humana natura nondum assumta, & nondum in vivis fuit: Ergo: Jobus, actus à Spiritu Sancto, agnovit λόγον, Redemptorem ac Mediatorem suum secundum divinam naturam; quippe quæ tunc sola fuit & sola vixit.

XXVIII. Adde, quod ibidem Jobus Mediatorem & Redemptorem suum celebrat, ipsum fore nostram resurrectionem & vitæ nostræ restauratorem. Hinc ita argumentamur: Quod opus Mediatoris ἀρχώς, & principaliter peragitur à divina natura, & tantum δευτέρως per humanam naturam, nempe, quatenus divina natura per humanam agit, illud non potest tribui

tribui Christo tantum secundum humanam naturam, quin potius principaliter divinæ naturæ competit; Atqui esse resurrectionem nostram, vitæque nostræ instauratorem est opus Mediatoris, quod περιτέλλεται & principaliter à divina natura peragitur, tantum δευτέρως & per communicationem ab humana. Ergo, opus hoc Mediatoris, esse resurrectionem nostram, & vitæ nostræ instauratorem, περιτέλλεται & principaliter à divina natura peragitur, & tantum δευτέρως per communicationem ab humana. Quomodo ergo ab operibus Mediatoris excludetur divina natura?

XXIX. Qui inde usque ab initio pro Ecclesia oravit; Is semper etiam ante incarnationem exercuit officium Mediatoris, & sic secundum divinam naturam; Atqui λόγος inde usq; ab initio pro Ecclesia oravit: Ergo λόγος semper etiam ante incarnationem exercuit officium Mediatoris, & sic secundum divinam naturam.

XXX. Major est certa. Nam 1. orare pro Ecclesia est officium & opus Mediatoris. Et 2. humana natura ante incarnationem non fuit, proindeque λόγος non unita fuit. Minor probatur ex Ps. 2. *Filius meus es tu, hodie genui te, postula à me, Et dabo tibi gentes hereditatem.* En Filius, ut hodie, h. e. ab æterno, genitus, introducitur hic ut deprecator, & quidem usq; ab initio. Et Ps. 16. dicitur: *Ad sanctos, qui sunt in terra, omnis mea voluntas;* Et de impiis dicitur: *Non assumam nomen eorum super labia mea:* Ergo, omni tempore pro sanctis precatus est & precatur, & detestatus est blasphemos. Unde etiam sacerdos in æternum nominatur: Et Zach 1. v.12. *Orat angelus, qui loquitur in Zacharia, nempe angelus ille magni consilii, & λόγος æterni Patris; Ilisque quo non misereberis Ierusalem, &c.*

XXXI. Nullum etiam dubium est, Christum de se loqui, tanquam de Mediatore, cum ait: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Vult ergo, accedere ad Patrem fiduciam Mediatoris, & vult ipse, tanquam Mediator agnoscere, qui exaudit & perfert preces nostras in arcanum consilium Patris.

**XXXII.** Hinc ita argumentamur: Qui vult, ut fiducia Mediatoris accedamus ad Deum Patrem, is vult, ut fiduciam illam collocemus non tantum in humanam, sed quoque divinam naturam Mediotoris: in modo περιττως in divinam naturam, & propter hanc in humanam, proindeque Mediatorem nostrum in hac fiducia non tantum secundum nudam humanitatem, sed secundum utramque naturam divinam & humanam respiciamus, colamus, honoremus; Atqui Christus vult in fiducia Mediotoris accedamus ad Deum Patrem: Ergo Christus vult, ut fiduciam illam collocemus, non tantum in humanam, sed etiam divinam naturam Mediotoris, & quidem in hanc περιττως, proindeque Mediatorem nostrum in hac fiducia non tantum secundum humanam, sed etiam secundum divinam naturam respiciamus, colamus, honoremus.

**XXXIII.** Deinde, qui vult talis agnoscere Mediotor, qui exaudiat preces, illasque in arcanum consilium Patris perferrat; is vult agnoscere Mediotor secundum utramque naturam; Atqui Christus vult agnoscere talis Mediotor, qui exaudiat preces, &c. Ergo, Christus vult agnoscere Mediotor secundum utramque naturam.

**XXXIV.** Major probatur: Nam exaudire preces & gemitus cordis, est solius Dei: Minor est certa ex datis hypothesibus. Nam si Mediotoris officium est offerre preces nostras in arcanum Consilium Patris, oportet etiam exaudire preces, veramque invocationem & hypocrisim discernere possit.

**XXXV.** Unde rursus sic argumentamur: Opera omnipotentiæ & omniscientiæ divinæ sunt περιττως opera divinæ naturæ; Atqui opera haec Mediotoris, videre corda invocantium, discernere veram invocationem & hypocrisim, exaudire invocantes, & ingredi in consilium arcanum æterni Patris, h.e. videre voluntatem æterni Patris, sunt opera omnipotentiæ & omniscientiæ divinæ: Ergo opera haec Mediotoris, videre corda invocantium, discernere veram invocationem & hypocrisim, exaudire preces & ingredi in consilium arcanum Dei Patris, sive videre voluntatem æterni Patris, sunt περιττως opera divinæ.

divina; & per consequens ad opera Mediatoris peragenda concurrit quoque Divina Natura ut Principium quo Mediator opera sua peragit ut Mediator.

XXXVI. Hinc iterum infero hoc modo: Secundum quam naturam Mediator ingreditur in Consilium arcanae aeterni Patris, ut intercedat pro nobis, secundam illam, quoque naturam pro nobis intercedit; Atqui secundum divinam Naturam Mediator ingreditur in Consilium arcanae aeterni Patris, ut intercedat pro nobis. Ergo secundum divinam quoque Naturam Mediator pro nobis intercedit. Et per consequens, Christus quoque secundum Divinam Naturam noster est Mediator.

XXXVII. Hinc Chrysostomus, de Mediatore agens, hanc ponit causam, quare Mediator oporteat communicare ambo bus, quorum est Mediator; quia Mediatorem oporteat cum Deo colloqui. Verba ejus haec sunt: Nec Homo tantum esse Mediator potuisset, quia cum Deo Mediatorem colloqui oportebat: ἀνθρωπὸς γάλλος εἶναι μεσίτης, ἐδόγδυ καὶ τῷ Θεῷ λέγεσθαι.

XXXVIII. Ceterum, Jesuita Laurentius Förerus in suo Manuali Lutheranorum part. 2 cap. 2. cum ceteris Jesuitis ejusmodi ponit hypotheses, 1. Mediator debet esse Medius inter extrema, b.e. inter Deum & hominem, adeoq; debet ab illis distingui: non enim potest idem esse medium & extremum. Cum ergo Christus, quia Deus, sit extremum, non potest, quia Deus, esse Mediator. Contrà, si dicamus Christum secundum Humanam Naturam fuisse Mediatorem, clarissime apparebit, quomodo distinguitur ab extremitate, nempè Deo, quia Deus est, & ab homine, quia peccator est: Hac enim duo hic sunt extrema. 2. Si Christus est Mediator secundum divinam naturam, tunc etiam est Sacerdos secundum eandem. Consequentia est falsa, quia omnis sacerdos est minister, adeoq; minor eo cuius est Sacerdos; At Christus secundum Divinam Naturam non est minor, Ergo &c. Hactenus Förerus.

XXXIX. Ad primam hypothesis in genere dicimus: de Mediatore nostro Jesu Christo non ex communibus & vulgaribus hypotheses, secundum communem rerum naturalium

five creatarum cursum & conditionem extractis, est judicandum, sed ex unica sola revelata sacra scriptura. Ut enim omnia, quæ sunt in Persona Christi, sunt ἡ οὐγὴ τοῦ λόγου: sic quoq; hoc Mediatoris officium plane singulare est, & super omnem humanam vulgarem rationem & conditionem. Quocirca nulla necessitate cogimur concedere consequentias, quæ ex ejusmodi hypothesibus nectuntur.

X L. Eodem modo vellem argumentari: Quicunque piis ac veris precibus debet invocari, ille debet esse distinctus ab eo, qui preces illas excogitat & fundit; Atqui non tantum Pater & Filius piis ac veris precibus debet invocari, sed Spiritus sanctus quoque: Ergo non tantum, Pater & Filius, sed Spiritus quoque Sanctus debet esse distinctus ab eo, qui preces illas excogitat & fundit. Atqui verò conclusio est falsa. Ergo; aut Major aut minor. Non Minor, quia ut Spiritus S. est verus Deus, sic quoque veris ac piis precibus debet invocari. Ergo, Major falsa erit in hoc Mysterio, licet in suo foro, nempe rerum mundanarum, sit verissima. Quandoquidem absurdissimum esset & stultissimum inter homines, si quis aliquem informaret ac doceret, quomodo & quid à se petere deberet, simulque modum petendi præscriberet. Id verò in foro Theologico absurdum non est, sed contrarium fieri oportet. Si enim preces nostræ debent exaudiri, oportet ut fiant instinctu Spiritus sancti, ipsoque dictatore & autore. Quare in hoc foro conclusio falsa, ut diximus, ex politica illa propositione infertur. Quandoquidem Spiritus S. interpellat pro nobis Rom. 8. v. 29. & ad preces instigat; adeoque veluti verba & suspiria nobis intus dictat. Sic dicitur clamare Gal. 4. v. 6. quoniam docet ipse nos, & facit ut clamemus, unde etiam Spiritus precum nominatur Zach. 12. in quo Spiritu etiam Deus vult adorari Job. 4. v. 24. & sine quo non possumus Jesum vero corde appellare Dominum i. Cor. 12. Etenim hoc ipsum, quid precaturi simus, ut oportet, non novimus, verum ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus Rom. 8.

X L I. Sic etiam posset quis argumentari, ductum rationis  
secu-

secutus, ut etiam argumentati sunt Arius, Photinus & omnes, qui negarunt divinitatem Christi: Deus & Homo non possunt esse Una Persona: Mediator est Una Persona: E. Mediator non potest esse Deus & Homo. Ut enim ibi Jesuitæ hypothesis est ex ratione petita, sic quoque hæc Major. Contra omnem namque rationem est, omnesque ejus regulas; Duas substantias perfectas, ut sunt Homo & Angelus: Item homo & equus, subsistere uno supposito posse: Ergo multò magis pugnat contra omnes regulas rationis ac naturæ, Deum & Hominem subsistere unâ subsistentiâ & personâ.

XLII. Ut ergo hinc argumentari non licet: *Duae perfectissimæ Naturæ ac Substantiæ non possunt coire in uno òφισα μδρῷ, supposito & persona, naturaliter & secundum ordinem naturæ: Deus & Homo sunt duæ perfectissimæ Naturæ & Substantiæ, Ergo Deus & Homo non possunt coire sive uniri in una Persona sive supposito; Sic nulla quoque consequentia erit: Omne medium est ordine Naturæ distinctum natura sua ab extremis: Mediator Deus & Homo non est distinctus natura sua ab extremis: Ergo Mediator Deus & Homo non est medium, sive Mediator.* Quare Theologus circa mysteria occupatus simpliciter ejusmodi hypotheses, ex communione naturæ cursu petitas, potest rejicere, ut & omnes inde deducatas consequentias falsitatis arguere.

XLIII. Verum enimvero ut verum fateamur, etiam in communione naturæ cursu falsum est, medium necessariò ab extremis toto genere sive natura esse diversum; cum dentur media, quæ de utroque extremo participant, ut sunt mediæ coloris, moderatus calor in aqua, item virtus v. g. Liberalitas, quæ de utroque extremo participat: nempe est in illa appetitus accipiendi, estque appetitus dandi, quorum ille simpliciter & solus in avaritia, hic simpliciter & solus est in prodigalitate.

XLIV. Quare non est absurdum, medium cum extremis certa parte consentire, licet quoad totum dissentiat, & sit diversum.

XLV. Sic in præsenti negotio, duo extrema sunt, Deus triunus, Creator & justus Judex; & Homo creatus & peccator.  
Medius.

Medius est Christus, cum quae illis extremitate consentit & dissentit. Consentit 1. cum uno extremo, Deo nimirum Creatore & justo Judge; quia verus Deus est. 2. consentit cum altero extremo, quia verus homo est. Dissentit, quia non est Deus trinus, sive tota Trinitas, neque est tantum Deus ut Pater & Filius: Deinde, quia non est homo peccator, & tantum homo, sed Homo & Deus.

XLVI. Christus ergo, quam Deus, non est extremum: siquidem illud, quam Deus non totam Trinitatem notat, sed tantum secundam Personam. Deinde negamus, quod Christus sit Mediator, quatenus Deus est; sed quatenus Deus & Homo est.

XLVII. Dubitari insuper posset, an Deus & peccator, ut extrema opponi, recte dici possint. Quandoquidem homo, ut peccator est, non opponitur Deo suo; sed ut Homo & Creatura. Deus ergo non ut Deus, sed ut justus Judex & irascens peccatis opponitur peccatori.

XLIX. Hinc quoque verum est, quod in subsequentibus dicit Förerus: *Mediator tam ex vi nominis, quam ex usu Orthodoxæ Ecclesiæ (imò etiam Scripturæ, quod nos addimus) ille dicitur, qui inter dissidentes medius intercedit: Jam verò maximè dissidentes sunt, Deus, quatenus ut justus Judex irascitur peccatis; & homo ut peccator.*

XLIX. Quis autem Christianus nescit, partem dissidentem, nempe peccatis inscenem esse totam Trinitatem? Ergo æquè secunda Persona Trinitatis, atque prima & tertia irascetur peccatis.

L. Assumamus etiam illud Föperi, quod ibidem habet & alias vulgatum est: *actiones esse Personarum; quia Naturæ non agunt, nisi subsistentes.* Subsumo: atqui irasci peccatis est actio: Ergo est suppositi & personæ. Est autem æquè suppositi sive personæ τὸ λόγον, atque est personæ Patris & Filii. At persona τὸ λόγον est persona humanitatis Christi. Ergo persona illa non potest non irasci peccatis hominum, & proinde neque esse principium quod actionum Mediatoris; quod alias concedunt Jesuitæ. Si negant hanc consequentiam Jesuitæ, concedant, necesse

necessè est, velle & nolle extremè, cadere simul in eandem immutabilem divinam voluntatem : quod absurdissimum.  
Occèca ratio !

L.I. Hinc rursus ex hypothesibus Foreri & Jesuitarum sic argumentor: Qui ut justus judex irascitur peccatis, is est alterum extremum illorum, inter quæ quis intercedit Medius, siue Mediator, & nequaquam est ipse Mediator; Atqui persona Divinitatis secunda est ejusmodi persona, quæ ut justus judex irascitur peccatis: E. Secunda persona divinitatis est alterum extremum illorum, inter quæ intercedit Medius siue Mediator, & nequaquam est ipse Mediator.

L.II. Inde sic argumentari pergo: Homo Jesus Christus est Mediator Dei & hominum: Secunda persona Trinitatis non est Mediator Dei & hominum: Ergo secunda persona Trinitatis non est homo ille Christus, &, per consequens, alia est persona secunda Trinitatis, & alia est persona mediatrix, Jesus Christus. Absurdissimum & Eutychianum.

L.III. Pergo: Quando Christus, ut Deus, pertinet ad extrema, inter quæ Medius est Mediator, proindeque irascitur peccatis: tum pertinet ad extremum alterum, vel ut est Deus, siue Deitas, sub persona Patris, vel ut sub persona Spiritus sancti, vel denique ut est Deitas sub persona Filii. Non ut est sub persona Patris, nec ut est sub persona Spiritus sancti: nam iis modis non est Deitas Filii, nam Deitas sub persona Patris est ipsa persona Patris; & sub persona Spiritus S. est ipsa persona Spiritus S.; Ergo ut Deitas illa est sub persona Filii: Ergo & persona Filii pertinet ad illud extremum. Unde rursus infero ex hypothesi Jesuitarum: Extremum vel id, quod pertinet ad extremum, non potest esse medium siue mediator: Persona Filii est extremum, siue pertinet ad extremum: Ergo persona Filii non potest esse mediator. En rursus aut duæ personæ: alia Filii siue  $\gamma\lambda\circ\gamma\circ$ , & alia mediatoris asseruntur; aut dicendum, personam esse aliquid distinctum à duabus naturis, quod illis præsideat & suo nuture regat, proindeque efficiat sua directione, ut natura divina irascatur peccatis, & contrà natura humana opera Mediatoris peragat. Ex hoc vero figmento oriuntur

untur tres personæ, una, quæ præsidet, & duæ, quæ secundum.  
eius nutum operantur planè opposita & contraria. cum actiones sint suppositorum.

LIV. Ad vitanda ergo tanta absurdum dicendum est: Quod Deus noster sit justus simul & misericors. Ut justus omnino irascitur peccatis; quia vero misericors simul est, in medio iræ suæ memor fuit misericordiæ suæ. Vt ergo divinæ justitiae satisficeret, misericordiâ suâ hominem lapsum, cum adhuc ipsius hostis esset Rom. 5, prævenit de medio solitus, quo homo Deo reconciliatus aeternum vivere posset. In concilio igitur Sacrae Trinitatis conclusum & decretum fuit, ut Filius descenderebet de cœlo, & assumeret humanam naturam, & in ea opera Mediatoris, Redemptoris & Salvatoris perficeret, & sic Deus & Homo Mediator, Redemptor & Salvator esset generis humani. Hic enim finis fuit hujus missionis. Haec quia cum sacris ubique consentiunt, quicquid etiam obganniat ratio, curandum nequaquam est.

LV. Quod attinet alterum illud Foreri: Si Christus est Mediator secundum divinam naturam, tunc etiam est Sacerdos secundum eandem. Consequens est falsum, subsumit Jesuita: At verum id esse dicimus. Excipit: Omnis sacerdos est minister, adeoq; minor eo, cuius est sacerdos. Sic ergo vult argumentari Jesuita: Omnis qui ministrat, minor est illo, cui ministrat; At sacerdos ministrat, & inde minister dici potest. Ergo &c. Ne go majorem, cum ministeria esse possint inter æquales, & non absurdū sit, majorem inservire minori: nec missio & obedientia tollant æqualitatem potentiae, sicut expressè inquit Cyrus. Miramur autem, hoc à Pontificiis & Jesuitis negari, cum interim in praxi quotidie contrarium suo more demonstrent, Papam celebrantes Caput Ecclesiæ, terrestrem Deum, qui jus utriusq; gladii, adeoq; tribunal super Imperatoris thronum habeat; & nihilominus servus servorum esse velit.

LVI. Cæterum quod attinet distinctionem illam, quā distinguitur inter principium ut Quod actionum Mediatoris, & inter principium ut Quo earundem: concedamus, personam dici principium ut Quod, cum actiones sint suppositorum:

verum.



verūm humanam naturam esse tantūm principium ut Quo, & non etiam divinam naturam in Christo, concedere nequaquam possumus.

LVII. Sed excipiunt Jesuitæ, ut Forerus & Becanus &c. divinam naturā non esse capacem passionis, mortis &c. concedimus totum. Verūm diximus antea, distinguendum esse inter partialem & totalem actionem, hoc est, θεανθρώπων Mediatoris: passio & mors, ut talis, omnino pertinent ad humanā naturam: Verūm ut sunt λύτρον sufficiens pro mundi peccatis, id non tantū ad humanam, verū etiam ad divinam naturā pertinet: Quippe non ψιλὸν ἀνθρώπινον, sed θεανθρώπινον. Exempli causa. Speciem visibilem in pupillā oculi recipere est organi, nempe oculi: illa autem receptio est ipsa actualis visio, unde oculus videt ut Quo, homo autē videt ut Quod, qui constat animā & corpore: Quæritur, cum corporeum illud organū, oculus videat, ut principiū quo sit visus, an propterea anima excludi possit? Nequaquam. Si enim oculus animatus non esset, non fieret actualis visio in oculo: Sic quoq; hic se res habet: Humana quidem natura est principium ut Quo passionis & mortis; Verū si humana natura non Deificata esset, passio illa & mors non essent λύτρον sufficiens pro peccatis. Agit ergo utraq; natura, quod suum est, sed ita, ut ad unum διπλέσμα suas actiones communicando dirigat. Humana quidem natura in se recepit illas passiones, sed ut tantas in se recipere posset, fecit divina natura. Omnia enim peccata Dominus in ipsuni tulit; peccata habebant conjunctā infinitam iram Dei & maledictionem Legis, cui alias omnes homines fuissent subjecti. Sanè infinitam hanc molem, cruciatusq; inde ortos, internos simul & externos, nudus homo ferre & sustinere nequaquam potuisset. Quis enim dubitat, cruciatus illos omnino, si non majores, tantos fuisse intensivē, quanti fuissent cruciatus infernales omnium hominum extensivē in omnem æternitatem? Dolorum ergo horum magnitudinem nulla mens humana cogitando assequi potest. Hos tulit, non nudus homo, sed θεανθρώπος; Cùm nudus homo sub tantis cruciatibus, infernalibusq; laboribus ac doloribus succubuerit, desperasset, & sic à diabolo & morte æterna victus fuisset.

LVIII. Quod autem passio Christi (per quam omnes cruciatus & afflictiones ipsius intelligimus) sit horrenda pœna Dei, quam nullus homo, sed solus Christus Deus & Homo propter peccata nostra perferrere potuit, ex sequentibus dictis meridiana luce clarius elucebit. In Psalmo 69. inquit David sub persona Christi: *Laboravi clamans, raucae sunt factæ voces meæ, defecerunt oculi mei expectantes Deum meum, multiplicati sunt super capillos capitum mei, qui oderunt me gratis. Invaluerunt, qui persequuntur me inimici mei injustè, quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Item in Psal. 88. *Estimatus sum cum descendib[us] in for[e]am, factus sum sicut homo sine fortitudine, inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum nulla amplius superest memoria, & ipsi à manus tua abscessi sunt. Posuisti me in lacu inferiori, in locis tenebrosis & profundis.* Item: *Super me transierunt ira tua, terrores tui oppresserunt me.* Item in Psal. 22. *clamat, quietiam clamor in cruce est subsecutus: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti: Et ibidem: Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum, tanquam ceraliquescens, in medio ventris mei.* Item Propheta Esaias cap. 43. sic loquentem introducit Christum: *Servire me fecisti in peccatis tuis, laborare me fecisti in iniquitatibus tuis. Ego, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me & peccatorum tuorum non recordabor.* Sic in 53. cap. idem Propheta inquit: *Vulneratus est propter prævaricationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras; Et Iehova conjectit in eum omnes iniquitates omnium nostrum.*

LIX. Ex his & similibus Scripturæ dictis, in quibus assertur, Christum non vulgatiter propter peccata nostra esse passum, manifestè colligitur, quod passio Christi nihil sit aliud, quoniam horribilis pœna, quam solus Christus, propterea quod Deus simul & homo erat, nostri causâ ex immenso amore, quoniam nos persequebatur, pertulit.

LX. Humanitati ergo passio quidem est tribuenda juxta illud Petri 1. Epist. 4. *Christus passus est carne, hoc est, secundum humanitatem: non tamen propterea statuendum, quasi sola humanitas pro nobis sit passa, ita, ut passio nihil attineat ipsam.*

Divis-



Divinitatem: minime, inquam, hoc cogitandum est. Quamvis enim divinitas non patiatur: attamen quia Filius Dei se ipsum communicavit carni, absque tamen ulla confusione vel mixtione, ut loquitur Epistola ad Hebr. c. 2. realissime etiam ipse λόγος seu Filius Dei passus est: Hinc Scriptura dicit, Dominum gloriae crucifixum, i. Cor. 2. & in Act. 2. Ipsum vitæ auctorem esse interfectum, Act. 5. Deum proprio Filio non pepercisse, Rom. 8. Tradidisse unigenitum filium suum in mortem, Joh. 3. Nos reconciliatos esse per mortem Filii ipsius, Rom. 5. &c.

LXI. Non ergo Divinitas ab hac passione simpliciter excludi potest, non quod passa fuerit; sed quia etiam in ea suas per gebat partes, non solum sustentando carnem (quod & fit in aliis Martyribus) ne in passione succumberet; sed insuper pretium & pondus largiendo passioni, ut esset sufficientissimum. Autem: ut interea nihil dicam, quod quædam blasphemiae in passione Domini æquè concernebant Deitatem, quam humanitatem, quando videlicet dicebant: Si Filius Dei es, descendas de cruce & juves te ipsum. Item: Alios juvare potuit, semetipsum autem non potest. Item, quando dicebant: Blasphemiam locutus est quia semetipsum fecit Filium Dei. Hæc & similia æquè pertinebant ad divinam, quam humanam naturam.

LXII. Non ergo verum simpliciter est, quod Jesuita Forerius cum suis sociis prætendit: Christum, quæ D E U M, sive secundum divinam naturam, opera Mediationis physicæ & per modum principalis causæ ac propriæ, non exercuisse: Ideoq; dignitatem & vim in ratione meriti & satisfactionis, quam habent actiones humanæ Christi, non esse aliquam physicam efficaciam, seu influxum realem ipsius Deitatis in illa, sed mortalem tantum, quæ à persona divina sit.

LXIII. Hoc, inquam, simpliciter concedendum non est: Quandoquidem inde sequitur, Christum non reverâ & efficaciter satisfecisse legi, nostrorum omnium peccata, & infinitam iram Dei maledictionemque legis non tulisse, neque illa suâ passione ac morte expiisse, neque infinitæ justitiae satisfaciendo hanc realiter sustulisse: sed Deum tantum ad naturæ humanae passionem & mortem respexisse, propterea quod illa susten-

tetur in persona Filii sui; atque hanc solam ob causam in illa  
sine ulla reali & efficaci satisfactione, quievisse.

LXIV. Quod manifestò liquet ex Fori verbis l. all. p. 196.  
quando inquit: *Addo, nos non dicere, Christum per humanam na-  
tum physicè (principaliter) effectivè abolere peccata hominum, &  
dare ipsis gratiam & gloriam: sed dicimus solum, eum per naturam  
humanam, in divina hypostasi subsistentem, ea opera exercuisse, que  
apud DEUM merebantur abolitionem peccatorum nostrorum, gra-  
tiā & gloriam.*

LXV. Hoc est, humana quidem natura est passa, est mor-  
tua, se legibus divinis in omnibus subjecit; verum iis non effi-  
cacer operata est nobis salutem, non expiavit efficaciter pec-  
cata nostra, non efficaciter placavit iram Dei: sed quia huma-  
na illa natura patiens, moriens, sustentatur in persona Filii,  
hanc habuit apud Deum autoritatem & dignitatem, ut ipse, tan-  
tum motus autoritate illius passionis & mortis, fluente ex hu-  
manitatis subsistentia in λόγῳ (Et sic non per humanam natu-  
ram, & omnino sine ulla ejus efficaci actione) hominem im-  
mediata actione efficaci rursus reciperet in gratiam, peccata  
condonaret, & æternū salvaret. Idem quoque est sensus ver-  
borum Becani part. 3. Theol. schol. cap. 21. §. 8 *Solus Deus effica-  
citer renovat corda, & dat Spiritum sanctum; At mediator fecit  
utrumque meritorie.*

LXVI. Verum longè aliter loquitur sacra Scriptura de offi-  
cio & actionibus meritoris Christi, per humanitatem præsti-  
tis. Nempe illi ubique efficacem virtutem & actionem tri-  
buit, effectivè operantem. Genes 3 v. 15. Semen mulieris conte-  
ret caput serpentis. Verè languores nostros ipse TULIT, & dolores  
nostros portavit Es. 53. v. 4. Pro nobis peccatum fuit, ut nos effi-  
ceremur iustitia DEI IN EO. I. Cor. 5. v. 21. DEUS misit filium  
suum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui erant  
legi obnoxii REDIMERET sive liberaret Gal. 4. v. 4. 5. Iniqui-  
tates ipsorum ipse portabit Es. 53. v. 11. Angelus faciei ejus, salvos fe-  
cit eos, redemit eos, portavit eos, tulit eos, Es. 63. v. 9. Peccata totius  
mundi delevit & expiavit Tit. 2. v. 14. Joh. 1. v. 29. Diabolus opera  
destru-

destruxit Heb. 2. v. 15. Mortem abolevit, vitam & immortalitatem reduxit 1. Timoth. 1. v. 10. Aeternam felicitatem ac gloriam nobis acquisivit Actor. 15. v. 11.

LXVI. Sed adhuc oggannit Forerus; illa omnia prestata esse ab humanitate moraliter non efficaciter sive effectivè. A Dignitate enim (addit) personæ infinitæ, actiones etiam humanae moralem dignitatem infinitam immensumq; valorem contraxerunt, unde in oculis DEI infiniti pretii fuerunt, quanti nullius, puri hominis actiones esse possunt: Hinc Christus suo jejunio, suâ oratione, suâ passione &c. (quorum omnium principium activum Quo proprium erat sola humana natura) nobis promeruit remissionem peccatorum, gratiam, adoptionem in filios DEI, resurrectionem, gloriam &c. Hactenus Je-fuita.

LXVII. Ex quibus rursus manifestum est, Forerum tantum autoritatem & dignitatem tribuere operibus humanitatis contractam ex sustentatione in personâ & λόγῳ, nullam autem virtutem effectricem.

LXIX. Quod manifestissimè pugnat contra allegata Scripturæ testimonia, & cum primis quoque contra virtutem vivificam, quam Christus corpori & sanguini suo tribuit Job. 6. Est ergo illa Jesuitarum Scripturæ analysis & resolutio, non vera ejus explicatio, sed manifesta depravatio. Quandoquidem sensus ille non est in Scriptura, sed illi falso affingitur.

LXIX. Christus enim suis actionibus meritoris revera & efficacissimè destruxit opera Satanae, vicit Diabolum, contrivit caput serpentis, & maledictionem legis abstulit, & adhuc suâ carne & sanguine nos efficacissimè sustentat & conservat, ut in morte manere non possimus, sed aliquando resuscitati vivamus in æternum.

LXX. Quod porro dicit Forerus, Jejunii Christi, orationis, passionis, &c. principium activum Quo proprium esse humanitatem. Si partialiter intelligatur, concedere possumus; quod vero in illis actionibus nihil plane fecerit, nihil ad illas contulerit di-vina natura, id est, quod negamus. Quandoquidem ut ita fierent, Jejunium, preces, & passiones, impulsu divinæ naturæ factum.



factum est, quæ etiam in illo jejunio, oratione & passione effi-  
cax fuit.

LXXI. Concedit Forerus principium Quod egerit esse personam: ergo persona egit per humanam naturam. Dicat autem mihi Forerus, quid illa persona sit sine divina natura: Et an persona illa principium, Quod agit, esse possit sine divinâ naturâ, cùm tota Entitas ac essentia personæ consistat in divinâ natura: Adeò, ut, si quis dicat, personam Christi esse principium ut Quod actionum, non possit divinam naturam excludere. Quemadmodum in hominis actione & passione, licet illa fiat in corpore, non tamen anima potest excludi, ut demonstratum. Si autem ad personam refertur divina natura in illis actionibus; etiam suo modo rationem habet principii ut Quo agit illa persona in illis actionibus Mediatoris.

LXXII. Quando igitur dicunt nostri, Christum secundum utramque naturam omnia opera Mediatoris perdcere; non id ita intellectum volunt, quasi omnes actiones & passiones partiales subiectivè in se recipiat divina natura (Quandoquidem sine Foreri informatione scimus, quod divina natura pati & mori non possit:) Sed hæc est nostra mens, in illis passionibus corporis non otiosam esse divinam naturam, sed semper quod sum est agere & conferre: Quandoquidem non nuda hypostasis, sed divina natura, ut hypostasi λόγος terminata est, assumtam naturam semper adhibet ad expedienda & perficienda quælibet salutis nostræ opera atque munia. Nuspian enim operari caro potuit, n. si ex vi, imperio, voluntate, directione, sustentationeque Verbi, ut caro non tantum pateretur & moretur, sed simul patiendo & moriendo æternam mortem vinceret, & caput serpentis contereret.

LXXIII. Atque hoc est quod Vigilius ait: *Talis hostia requirebatur, quæ ta MEDIA esset inter DEUM & homines, ut & morti succumbet eret per illud, quod hominis habebat, & mortem vincere co, quod divinitatem in se tenebat.* Vides ergo quod nostra sententia exesse conveniat cum hoc antiquitatis orthodoxæ testi: nomo.

74. Idem

LXXIV. Idem Vigilius: *Nisi, inquit, talis Mediator existeret qui de cœlestibus veniens coniretur terrenis: Unde etiam medius erit, si utrumque non habuerit? quia nisi talem dederis inter DEUM & homines, qui ita sit medius ut ex utroque utrumque sit, id est, ut & Deus sit propter divinitatis, & idem homo sit propter humanitatis naturam, humana divinis quomodo reconcilientur, non ostendis.*

LXXV. Irenæus lib. 3. loquitur hoc modo: *Mediatorem DEI & hominum persuam ad utrosque cognitionem in amicitiam, & concordiam utrosque reducere, & facere, ut DEUS reciperet hominem, & homo restituatur DEO: quia enim ratione filii adoptionis esse possumus, nisi per filium, & nisi Verbum Caro factum esset, & nostræ naturæ sociatum esset? En expressè dicit, in Mediatore duas naturas esse, quia nos non possumus esse filii adoptionis, nisi is, qui naturâ filius est, assumisset naturæ nostræ massam.*

LXXVI. Jam verò naturâ filius est per divinam naturam: ergo quia hæc sociata est nostræ naturæ, Mediator extitit: Quis igitur negabit, secundum Irenæum divinam quoque naturam pertinere ad Mediatorem constituendum.

LXXVII. Cyrillus quoque multis inculcat in Thesauri lib. 12. Mediatorem DEI & hominum Jesum Christum esse, non solum quia reconciliavit homines Deo, sed etiam quia naturaliter & substantialiter & Deus & homo est unâ hypostasi. Et ibidem reddit rationem, cur Christus sit Mediator DEI & hominum, hanc ipsam: *Quia in eo DEUS & homo conjunguntur. Conjunguntur autem non ut duæ personæ, sed ut duæ naturæ, ergo duæ illæ naturæ constituunt Mediatorem, & secundum utramque Mediator est. Idem statuit Epiphanius & Hieronymus.*

LXXVIII. Nec his antiquitatis testimoniis (dicit Philip-  
pus Melanchthon in respons. de controversia Stancari) antefe-  
ratur mutilatum dictum in Longobardo, dist. 19. lib. 3. quod  
ex Augustino citatur, quod ait, Christum esse Mediatorem se-  
cundum humanitatem, non secundum divinitatem. Et tamen

“ in eodem loco pugnantia mox citantur, unde nata est otiosa  
“ distinctio de medio & Mediatore. Fatentur Christum secun-  
“ dum utramque naturam medium esse, sed Mediatorem secun-  
“ dum humanam naturam. Manifestum est autem, ideo dictum  
“ illud insufficiens esse, quia tantum de passione loquitur, non  
“ de victoria, non de intercessione perpetuâ, quæ fit coram pa-  
“ tre, non de perpetua conservatione Ecclesiæ.

LXXIX. Unicus Locus in Scriptura sacra est, quem alle-  
gare solent Jesuitæ, Bellarminus, Becanus, Forerus & cæteri:  
Nempe quod Paulus scribit. Timoth. 2. v. 5. *Vnus Mediator Dei*  
*& hominum, homo Jesus Christus:* Ubi particula *homo* repetitur,  
(inquit Forerus d.l. ex Becano part. 3. Theol. Schol. cap. 20.  
§ 3. & Bellarm. lib. 5. de Christo cap. 3.) ut constet, secundum  
quam naturam sit Mediator ut notavit Augustinus lib. 2. de peccato  
Originali cap. 28. & serm. u. de verb. Apostoli. Verum committi  
illa responsione fallaciam causæ, dudum vedit Melanchthon.  
Quando ex Hieronymo ita respondet: *Nec dictum in Epistola ad Timoth. excludit divinam naturam, quia nominat personam: Vnus Mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus:* Christus autem est nomen personæ, in quâ sunt duæ naturæ: quasi dicat: *Hic homo Christus est Mediator, non alii homines, Abraham aut Moyses, de quo etiam scriptum est Deuter. 5. Ego steti inter Deum & vos &c.* Sed hic unicus Filius Dei est Mediator: quia hic assumptâ naturâ humanâ est propitiator; non igitur inde sequitur, solam naturam humanam mediatrixem esse.

LXXX. Quod attinet autoritatem Augustini: Si ea videatur favere Jesuitis, opponimus illi primùm Hieronymum, qui locum hunc in suo Commentario in 1. Epist. ad Timoth.: ita, & quidem his ipsis verbis interpretatur: *Unus enim Deus &c.*) *Unus enim Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus.* Homo Jesus Christus) sicut unus Deus ita unus est Mediator inter Deum & homines universos: hoc est, nullus alius talis, nec Moyses, nec aliquis Prophetæ: *Quia hic & homo erat & Deus.* Sed quia de traditione erat



erat dicturus, ideo hominem solummodo nominat. T. longè aliam causam reddit Hieronymus, quam Jesuita, ob quam hīc particula homo repetatur. Et Ambrosius quoque in priorem Epist. ad Timoth. cap. 2. verborum Apostoli hanc adducit rationem: *Missus enim à patre factus arbiter, reconciliavit Deum & homines, reformato eos ad agnitionem ejus. Quia enim unus est Pater & Filius, non personā sed in differentiā naturae, ut arbiter esset Dei & hominum, FILIUS DEI assumptā carne, homo natus est, ut Mediator Dei & hominum esset Christus & SUI S, id est, NON SINE DEITATE quia in Deo erat homo, & Deus in homine, & ut EX UTROQUE ESSET MEDIATOR, & ut utrumque conciliaret, IN SE PRIMUM HOC FECIT.*

LXXXI. Addi etiam potest adhuc alia ratio: Nempe, quod Apostolus Mediatorem hīc hominem appellat ad provocandam in illum fiduciam nostram, ut eum nobis ὁμογενούς ostendat & proinde fidelem in his, quae ad Deum pro nobis agenda sunt.

LXXXII. Ultimō non potest negare Bellarminus, Forens vel ullus Jesuitarum, quod ad Mediatorem inter Deum & homines requiratur, ut sit Deus: At verò Deus est, qui divinā naturā prædictus est, ergo ad Mediatorem constituendum requiritur divina natura. Mediatorem autem esse est nomen officii, ergo ad officium hoc requiritur Deitas: Si hoc: ergo Mediator hoc suum officium præstare, & secundum illud operari non potest, nisi divina natura concurrat. *Talis enim requirita fuit hostia, quæ media esset inter Deum & homines, ut mortem subire & eandem superare posset.*

LXXXIII. Neque absurdum Jesuitis videri debet, quod ex nostrā sententiā sequatur, quod Christus non tantum sit Mediator ipse, sed etiam sit Mediator ad se ipsum. Quandoquidem in divinitatem Filii duplex cadit respectus: Unus, quo natura simpliciter; alter, quo eadem natura sed officii partibus determinata consideratur. Distinctis ergo hisce respectibus observatis, absque omni absurditate dicitur Christus esse Media-

diator ipse & Mediator ad se ipsum. Mediator ipse quidem, ratione officii, quippe quod neq; Patri, neq; Spiritui sancto convenit: sed ratione naturæ divinæ simpliciter consideratæ, quoniam hanc cum personis reliquis habet communem, dicitur esse Mediator ad se ipsum, hoc est, ut jam ex Apostolo 1. Tim. 2. vers. 5, audivimus, *Mediator inter DEUM & hominem*, quo respectu etiam εαυτῷ, sibi ipsi, mundum reconciliasse legitur 2. Corinth. 5. v. 18. 19. Et ad hujus imitationem ab Ambrosio jam dictum est, *ut DEUM & hominem reconciliaret, in se ipso hoc primum fecisse.*

*Hooperius: oīch F I N I S.*



99 A 6900

ULB Halle  
002 622 092

3




SB

Rebro

VDT7





# Farbkkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

O DECIMATERTIA  
m Confessionem,  
continens

ARTICULI III.

De

TO ME-  
TO R E,

composita  
ademiâ wittebergensi,

E S I D E  
ARTINI, SS. Th.

Facult. Theol. Seniore,  
Præposito , ac p. c.  
niæ Rectore,

ONDENTE

PARO ROHRBACHIO,  
censi Franco.

uditorio Collegii veteris  
15. Februarii.

EBERGÆ,  
LOMONIS AVERBACH,  
M DC XXIX

13